

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS.  
Theol. D. P. P. & Superint. Ad Exequias, Quas ... Puellulae Annae Elisabethae  
Großgebawrn/ Parentes Moestissimi Hodie hora prima in templo Jacobaeo  
paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter &  
sedulo invitat**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523779>

Druck    Freier  Zugang



Mavritius, C.,

in A.E. Grossgebawr.

R. 1656.

37



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777523779/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523779/phys_0002)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777523779/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523779/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR UNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS  
**CASPARUS MAVRITIUS**



Theol. D. P. P. & Superint.  
Ad Exequias,  
Quas  
Sua visima piissimaq;  
Puerulae

**ANNAE ELISABE-**

**THÆ Großgebawrn/**  
**PARENTES MOESTISSIMI**  
*Hodie hora prima in templo Jacobao  
paratas cupiunt,*

**Omnes omnium ordinum Cives Academi-  
cos peramanter & sedulo invitat.**

• (o) •



**ROSTOCHII, Typis Haredum NICOLAI KILII  
Acad. Typogr. Anno 1656.**

**M**elior est homini dies mortis die quo  
nascitur, inquit mortalium sapi-  
entissimus. Dies mortis verorum  
Christianorum dies verè natalis est.  
Etenim illo die, qvo lucis hujus  
usura frui incipimus, simul morti consecramur:  
at illo, qvo desinimus vitam naturalem vivere,  
veræ vitæ, qvam in Adamo amisimus, restitui-  
mur atq; redonamur. Quid enim mille sunt  
anni? quid? nil nisi mortis continuatio. Qvis  
novit, inquit Euripides apud Laertium, an vivere  
hoc sit emori, an emoriri hoc quod vocamus vivere? Af-  
sonat Augustinus: Mortalem dicam hanc vitam,  
an mortem vitalem nescio. Memorabilis est sen-  
tentia Gregorii Nazianzeni. Res humana labun-  
tur & intereunt, & aliam atq; aliam subinde muta-  
tionem capiunt. Vita quidem & mors tametsi plu-  
rimum inter se differre videantur, inter se tamen mu-  
tuo transmeant, vicissimq; succedunt. Mors vero,  
qua non modo nos à presentibus malis vindicat, ve-  
rum ad supernam quoq; vitam sepè traducit, haud scio  
an propriè mors appellari queat, ut potè nomine magis  
quam reformidabilis. Atque absurdè sane & prae-  
postere affectuisse videmur, qvi ea, qua formidolo-  
ja non sunt, extimescamus, ea autem qua metuenda  
sunt, ut meliora, magisq; expetenda, complectamur.  
μία ζωὴ τὸν ζῶντα βλέπειν, οὐ διέραται η ἀμάρτια ψυ-  
χῆς ταχεῖς ὄλεθροι. Quanta differentia est inter hœ-  
cum

tum utero clausum & Virum consummatæ corroboratæq; ætatis, & virtutis, tanta & multis partibus major differentia est inter illud corpus φιαγτὸν, qvod hic circumgestamus, & ἀφῆσθαι illud, qvo extremus dies nos est beatus. Nulla similitudo tenebrarum uteri materni est & lucis solaris : neq; ullam lucis hujus vitæ & claritudinis faciei divinæ analogiam dabis. Qualis est proportio angustiarum uteri materni ad totius orbis amplitudinem , talis hujus vitæ proportio est ad cœlum beatorum. Fœtus cum excluditur simul exuit illud, cui inclusus in utero materno erat: sic homo, dum moritur, ruptis omnibus hujus vitæ involucris & effracto servitutis carcere in veram libertatem asseritur. Infans cum in hanc lucem editur, siquidem rationis usum haberet, non à fletu, sed potius à risu & gaudio exordium ducturus esset, eò qvod ex sqvalidissimis tenebris in amoenissimam educitur lucem. Adeundem modum homo verè Christianus, ubi vitam cum morte beata commutat, non lacrimis se dedit, sed gaudio exultat potius, eò qvod ex viva morte in veram semperq; duraturam traducitur vitam. Mare hæc vita est: mors portus.. Mare nunc qvidem ridet & blanditur, mox sævit & furit : nunc cælo minatur & meros molitur montes atq; abyssos , mox

ad

ad quietem & planitatem se recipit, semper amarum, semper salsum, innumera producit monstra, deniq; sœpè in expectatis nec provisis fluctibus nautas obruit, ut verè olim censuerit. Menander: *Satius esse terra pauperem esse, quam divitem mari.* Et quocunq; quisq; vivit, quem vita hujus inconstantia lateat, qui non subinde in se vel in aliis experiatur miram ejus amaritudinem, eventus impropositos, monstra infinita, mala inexhausta? Non mare tot guttas quod malum mundus habet! Merito Cicero exclamat: *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam! Inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sœpè franguntur, & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint!* Quanto optatus est in portum tutum & tranquillum invehiri, quam saevi jactari tempestatibus atq; procellis, tanto optatus est mortem obire, quæ finis est dolorum & laborum atq; periculorum omnium, quam vitæ hujus perpetuis fluctibus fatigari. Quanto beatius est altissima jucundissimâq; pace frui, quam perpetuis iisdemq; ærum nosissimis bellis inquietari, tanto beatius est mori quam vivere. In hoc enim bella infinita: in illo pax & felicitas æterna. Hanc naœta est ANNA ELISABETH Grossgebäurn/ cui nunc exequiæ parantur. Si beatus dicendus est, qui celerrimè superatis æquoris molestiis exoptatissimum consequi-

qvitur portum, beata qvoq; nostra piè defuncta di-  
cenda est, cui Deus brevissimum vitæ miseræ spa-  
tium indulxit, ut tanto cito ad verae felicitatis por-  
tum æternæq; vitæ solida oblectamenta deducere-  
tur. Nataea est Anno M. DC LIII. XXX. Sept Pa-  
tre Viro Reverendo & Clarissimo Dn. M. Theophilus  
Großgebawr ad D. Jacob. Verbi ministro fidelissi-  
mo, Collega & in Christo Fratre pl. colendo : Ma-  
tre Fœmina pientissima ornatissimaq; Margaretha Steins.  
Avus Paternus est Vir Spectatissimus & Integerrimus Dn. Valentinus Großgebawr /  
primum Perillustris Comitis de Schwarzburg Ca-  
meræ Secretarius, nunc vero Civitatis Ilmensis Con-  
sul meritissimus : Avia paterna Maria Schmidin,  
Matrona honestissima Deoq; dilectissima. Proavi  
Paterni eis fuerunt Carolus Großgebawr in Pago Sulz  
Comitatus Hennebergensis Agricola industrius, Vir  
integer vitæ scelerisq; purus, cuius conjux erat Elisabeth  
von Hilpershausen : & Fridericus Schmiedt  
Organista & Collega Scholæ Sleusingensis in Comi-  
tatu Hennebergensi, cuius Coniux erat Maria  
Schmuckin, soror Viri Admodum Reverendi atq;  
Excellentissimi Dn. Vincentii Schmuck, SS. Theol.  
D. Prof. & Facult. Theol. Senioris atq; Consistorii  
Lips. Assessoris qvondam gravissimi : Abavi pater-  
ni Balzer Großgebawr Agricola, sed in literis non  
male versatus pro illius gentis cultu & moribus : &  
Michael Schmuck Typographus Sleusingensis.

Avum maternum habuit Virum pl. Reverendum  
& Clarissimum Dn. M. Johannem Stein, Pastorem  
Nicolaitanum & Rev. Ministerii Rostochiensis Se-  
niorem venerabilem, Collegam & in Christo  
Fratrem honorandum: Aviam Paternam, Mar-  
garetham Lobeke Matronam laudatissimam: Pro-  
avos Maternos Hans Stein Cerevisiarum, cuius Con-  
jux fuit Anna Dānen, & Virum pl. Reverendum  
atq; Excellentissimum Dn. Davidem Lobechium,  
SS. Theol. D. Prof. & Eccles. Jacobæum longè cele-  
berrimum, cuius Conjurx fuit Ursula Schachts:  
Abavos Maternos Peter Stein / Civem Rostochi-  
ensem, cuius Conjurx fuit Koneke von Bartelsdorff,  
& Virū Maximē Reverendum atq; Excellentissimum  
Dn. Valentinum Schacht, SS. Theol. D. Prof. & Pa-  
storem Jacobæum, meritissimum, cuius Conjurx  
erat Margareta Höppeners. Ex hach honestissima &  
præclarissima familia orta piè defuncta eodem,  
qvo hanc lucem adspexit, die baptizata in nume-  
rum filiorum Dei & hæredum vitæ æternæ recepta  
est. Post aucta ætate Præceptoris informanda in  
pietate tradita, specimina devotæ mentis & precum  
ardentissimarum quamplurima edidit. Si forte  
contingeret, dilectissimos Parentes & gritudine ali-  
qua affici, nostra sine mora ad preces conversa est  
easq; appositas & ad rem accommodatas. Cum inci-  
peret decumbere, qvod factum VI. Decemb. prima  
hæc ejus vox fuit ad Sororem directa: Vete / dñses  
hald

bald besser werde. Morbo propulsando (varioli-  
erant) adhibitus Experientiss. & Excell. Dn. D.  
Johannes Backmeisterus, Collega pl. honorandus,  
omnia qvidem media tentavit, sed irrito successu.  
Interdum qvippe docta plus valet arte malum.  
Durante morbo piè defuncta honoratiss. Dn. Paren-  
tem ut precibus præiret monuit, & inter durissi-  
mos Paroxysmos præuntem secura est sœpiuscule  
ingemiscens : Ach lieber G O E T / Ach lieber  
G O E T / wie so schwer! Die XV. Decemb. ingra-  
vescente morbo pectoris angustiis & symptomati-  
bus vehementer conflixtata, cum precibus Dn. Pa-  
rens instaret, ipsa duas precatiunculas clarè pro-  
nunciari lingva semimorta petiit Ach mein Herkli-  
bes Jesulein &c. itemq; aliam, cuius summa hoc re-  
dit/ Sie wolte gern sein ein Himmels Pfänkelein.  
Verba Davidis Emphatica, HERR wenn ich nur dich  
habe &c. repebat, quando jam morti vicinissi-  
ma, corpore animoq; laborans deficiebat. Sic  
mortua XV. Decemb. inter IX & X vespertinam  
animulam piissimam DEO Creatori & Servatori  
JESU placide reddidit. Gratulamur piè defunctæ  
de felici exitu ex turbulento hujus vitæ mari, & bea-  
to in gloriose immortalitatis portum ingressu.  
Nobis eandem beatitudinem, & dilectissimis Pa-  
rentibus animum divinæ voluntati prompte se sub-  
mittentem Christiano affectu optamus. Cum  
vero

vero exuvia hodiè hora I. in Templo Jacobæo ter-  
ræ sint demandandæ ea, qua par est, diligentia.  
rogamus Omnes Omnia Ordinum Academi-  
cos Cives honoratissimos, ut postremum humani-  
tatis officium piè desunctæ præstent, & non mo-  
do erga eos, qui deceperunt meritis in Acade-  
miam & Ecclesiam conspicui, verum etiam erga  
superstites observantiam & ~~opinacionem~~ contestentur,  
& exemplum brevissimæ vitæ ante oculos haben-  
tes mortalitatis suæ memores vivant. GER.

MANA SAPIENTIA MORTIS  
MEDITATIO  
EST.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus XVII.  
Anno M. DC. LVI.

Conventus fieri in æde Jacobæa  
hora I.











bald besser werde. Morbo pro-  
erant adhibitus Experientiss. &  
Johannes Backmeisterus, Colleg-  
omnia qvidem media tentavit,  
Interdum qvippe docta plus va-  
Durante morbo piè defuncta hor-  
tem ut precibus præter monuit  
mos Paroxysmos præuntem sec-  
ingemiscens : Ach lieber G D  
G D Z E / wie so schwer! Die XV  
vescerite morbo pectoris angustii  
bus vehementer conflictata, cun-  
rens instaret, ipsa duas precatiu-  
nunciari lingua semimorta petii-  
bes Jesusein &c. itemq; aliam, cuj-  
dit / Sie wolte gern sein ein H  
Verba Davidis Emphatica, H E R  
habe &c. repecebat, qvando ja-  
ma, corpore animoq; laborans  
mortua XV. Decemb. inter IX  
animulam piissimam D E O Cre-  
JESU placidè reddidit. Gratula-  
de felici exitu ex turbulentu hujus  
to in gloriosæ immortalitatis  
Nobis eandem beatitudinem, &  
rentibus animum divinæ volunta-  
mittentem Christiano affectu o-

(varioli  
Dn. D.  
brandus,  
successu.  
malum.  
n. Paren-  
t durissi-  
piuscule  
ch lieber  
b. ingra-  
otomati-  
Dn. Pa-  
arè pro-  
Herkle-  
huc re-  
änzelein.  
nur dich  
vicinissi-  
at. Sic  
ertinam  
erвatori  
efunctæ  
& bea-  
ngressu.  
mis Pa-  
se sub-  
Cum.  
vero

